

# **Disputatio medica inauguralis de morbis a fascino / [Friedrich Käseberg].**

## **Contributors**

Käseberg, Friedrich, 1658-  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

## **Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, [1682]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vqkyxdp6>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
MORBIS  
A FASCINO.

*Hanc,*  
DIVINA FORTUNANTE GRATIA,  
jussu & autoritate  
Illustris ac gratiosissimi Collegii medici  
IN ALMA HAC SALANA,  
PATRONO ET MODERATORE  
V I R O

*Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo*  
GEORGIO VVOLFF-  
GANGO WEDELIO,


Med. Doct. ac Theoret. Prof. Publ. Archiatro Saxoni-  
co, S. R. I. Naturæ Curiosorum Adjuncto,  
*Præceptore ac Promotore suo omni cultus genere ad  
urnam colendo,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, IN-  
SIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
*MORE MAIORUM SOLENNI AC LEGITIMO, CAPESSENDI,*  
*publicæ placidæq; Philiatorum disquisitioni exponit*

FRIDERICUS Käseberg /

Burgtorio-Cellensis,  
*Ad d. VI. Septemb. ANNI MDC LXXXII.*  
IN ACROATERIO MAIORI,  
*Horis ante & pomeridianis consuetis.*





## PROOEMIUM.



Ulgata est Parœmia: Homo homini Deus, homo homini Diabolus. Ζῶον πολιτικόν, animal politicum & sociabile est homo, societati verò nil magis velificatur ac concordia, quando alter alterum juvat, solatur, tolerat.

Beneficiis humana vita consistit & concordia, elogio *Seneca*. Nullo verò magis Deum æmulamur, quàm utrisque. Beneficia collocamus in alterum consilio & monitis; vox amici, vox Dei est. Præstamus eadem re ipsâ, tum ordinariâ consuetudine, tum casibus fortuitis, servando hominem, velut ἀπὸ μηχανῆς, quod ajunt, succurrendo.

Ex concordia fluit amor, ex amore beneficia, utraque à Deo, boni omnis autore primo & unico, ut hæc quasi catena sit ab homine ad hominem, ab homine ad Deum tendens.

Sicuti verò homo in adjutorium mutuum generatus est; ita ira, odium, invidia, nocendi cupido, in exitium. Quis verò enumerare valeat mille modos nocendi, quibus homo homini fit Diabolus? Non aperto solum id fit Marte, sed & furtivo scelere, adeò & inter cœtera mortalitatis incommoda homo ipse est homini adversus, furiis iræ, ambitionis & similibus agitatus.

At at, non hoc solum homo homini fit diabolus, ipse suis relictus viribus, sed & quod turpe dictu est, odiorum autorem, dæmonem in consortium non rarò adsciscit læsio-

nis, ut jus, quod habet nullum, acquirat hoc ipso magis nocendi cupidissimus. Operæ hinc pretium facturos nos putavimus, si morbos à fascino considerationi subjiceremus. Hoc dum facimus, supremum ut annuat Numen, votorum nostrorum primum est.

## CAPUT I.

### Dari morbos à fascino.

**F**ASCINI acceptio licet *latius* pateat pro quâcunque noxâ, ab altero alteri, citra læsionem violentam, inductâ, citra concursum causæ sublimioris, nobis tamen *strictiori* magis inpræsentiarum venit. Sic fascinari dicuntur vulgò vel ex invidiâ, vel ex laude, quorum illud oculis, hoc ore magis fit, *βερύσσειν* vocant. De oculis res vel poetæ testimonio clara est, canentis: *nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos*. De ore id antidotus probat, laudationi præservandi fine addita, *quod præfascinè dixerim*, q. d. ne noceat, unde & à *Φάσσω*, dico, derivari commodè posset fascini vox.

Neque morbos à fascino illo naturali, si quod datur, ortos tractare animus est. Si quid enim oculus invidus, si lipitudine affectus nocet, similem morbum inferendo, id, nisi per accidens aliquando contingat, ab affluxu humorum, vel effluviis vicinioribus, vel incusso terrore arcessendum potius est, cum pro diversis objectis variè moveatur Archéus, variè agitentur humores, & spiritus, nullibi quasi magis mobiles, quàm in oculis.

Inde verò ad murmura sagarum, quæ prolata effectus morbosus aliufve damnosus insequatur, videtur vox deducta, sive id simplici fiat effato, seu additis ceremoniis aliis.

Non hoc nomine veniunt quoque morbi à Dæmone ipso omnipotentis Dei nutu inflicti, neque enim Jobi status morbosus à fascino dici vel potest, vel debet, sed potius, vel Ethnico præeunte *Hippocrate* nostro, iis in casibus *πνεῦμα ἁγιον* venera-

neramur, cujus acceptionem contrà mentem auctoris frustra vulgò ad dæmoniacos affectus torquent.

Multò minus omnes in universum morbos à dæmone arcessere licet Christianis, uti *Kozack Tract: de Hemorrhag. in de- dicat* contendit, qui omnes à dæmoniis excitari, imò entia illa, quæ nos morbos, vel morborum causas in nobis nominamus, reverà esse substantias & spiritus infernales, dæmonia, scribit, latius ibidem videndus.

Proprie loquendo, & uti res ipsa jubet, non fascinat solus homo, sive oculo, ore, aliisque modis, nec solus dæmon, morbos à fascino inductos infert, sed causæ sociæ concurrunt quasi, homo & dæmon.

Diabolus enim effectum aliquem p. n. rariùs præstat immediate, plerumque verò mediatè & quidem per sua organa, homines scilicet perversæ frontis ac animi, qui lamia, faga, venefici, magi, malefici, incantatores aliàs audiunt, idque præstant vi fœderis & pacti vel *expressi*, quo dæmoni perpetuum officium homo spondet, Deoque renunciat, horrendum dictu! & pacta sacra baptismalia cum eodem facta rescindit; vel taciti & *impliciti*, deliberato animo, vel inscianter initi, assiste nihilominus utrobique cooperatore & suafore maligno spiritu.

Præprimis verò mulieres dæmoniacis magis expositæ sunt officiis, quæ, cum propter animi impotentiam, ætate magis fotam, non ita resistere respectu virorum insidiis norint, facilius decipiuntur, illecebris illis magis inescari aptæ.

Ut ergò non omnes morbi, quod diximus, ita nec nulli sunt à fascino, quod itidem sunt, qui affirmant. Ita *Scharndæus* sibi nullo modo probari affirmat, rationibus philosophicis seu naturalibus, varios morbos hominibus veneficiis immitti posse, *l. de rat. conf. san. c. 19 p. 147.* Id verò duo invicta argumenta demonstrant, à causâ & effectibus petita, tum quod dantur venefici, utroque sexu, magis tamen sequiori respectivè, qui, infensi hominum hostis sociato concursu, tam noxas alias, quàm inter has morbos aliis, quos lædere vo-

lunt, inferre, quantum in ipsis est, fatagunt; tum quod sensus ipsi veneficia talia in corporibus suggerunt, quæ per naturam dari in ipsis impossibile est. Hinc non alio, quàm hocce, sensu supernaturalem causam reliquis addidère Medicorum filii, ut nempe exprimerent alia quoque sphæram naturæ excedentia visa symptomata, aliunde oriunda.

Negatio fascini sanè species atheismi videtur, præcipuè cum constet, diaboli potestatem, quantumvis limitatam & sub potestate summi Dei, tantam esse, ut nulla sit super terram, quæ cum illâ possit comparari. Testantur id ipsum testimonia omni exceptione majora ex sacris literis, *ὡς τῶν δαιμονιζομένων καὶ σεληνιζομένων*, quantum ex permisso numinis ad morbos per se quoque inferendos valeat. Nec culpandi sunt Icti, qui veneficas damnant ad rogam, convictas & confessas irrogati damni, maximè verò, abjurato Salvatore, baptismo novo suscepto, coitu impuro admissio. Reverà hæc contingunt, nec si phantastica ponamus, una omnium mens & confessio hæc foret, contra deliriorum naturam. Ut enim *Wierus* contendat, præstare illa omnia dæmonem solum, citra ullam illarum vel alterius hominis cooperationem, obsessentem lamias dementatas, melancholicas; perpetrasse se fatentes, persuasas à dæmone, innocentissimas tamen, *l. de præstig. demon. in præfat. & per totum*; Rectè tamen in contrarium *Helmontius* asserit, fatanam per se inefficacem, nisi per sui mancipii concursus, & per se impossibilem diabololæsionem talem, puta à fascino inductam, esse, *l. recept. inject. §. 9. & 13.*

Sed videamus morbos illos, qui potissimum à fascino induci observantur. Horum licet plura possint dari genera, nec unius modi observentur, communiores tamen quidam haberi solent. *Obsessionem* ipsam diaboli, ex justo Dei iudicio, etiam sine fascino dari posse non negamus. Observata tamen, vel nostrâ memoriâ, quod pueri bini Arnstadienses energumeni ante aliquot annos satis probant, exempla sunt, ubi id à lamiis præstitum & effectum est.

Frequentissima est quoque *macies*, & *atrophia* à fascino  
tum

tum puerorum nonnunquam, tum & auctororum, quando vel totum corpus, vel certæ partes mirum quantum exarent, præviâ talismodi fascinatione.

Contra ea & *tumores* graviores induci visi sunt ab hac causâ, in capite, mammis, pedibus & aliis partibus. Par ratio est *contracturarum*, quando artus perditâ articulatione mirum quantum contrahuntur vel contorquentur. *Motus* item *spasmodici* varii, mirâ & inauditâ contorsione ante, retrò, sursum, deorsum exercent alios. Sic & in aliis *deliria melancholica*, cum summâ anxietate & inquietudine, videas à fascino inducâ. Nec *cæcitas* à sagis illata de nihilo est, wenn sie ein Auge ausschlagen / qualia exempla non rarò occurrunt. Præcipuè verò frequens hujus rei exemplum præbet *impotentia à fascino*, etiamsi ludicro sæpè viso modo inducâ, facto nodo in filo vel ligulâ, clausâ ferâ, inverso in thecâ suâ cultro, dum copulatio peragitur.

Ligaturæ talis exemplum insigne notavit *Nobiliss. D. Præses* de cive quodam Jenensi, qui, à tempore initi conjugii, alioquin vegetus & sanus, hac morbi malitiâ per aliquot annos ita fuit afflictus, ut humido radicali penitus absumto & dejectis viribus pedetentim ad mortem deproperaret, & tandem naturæ debitum satis citò persolveret. Post hujus obitum cum alius multis annis post novus hospes ædes illius emtas penitus everteret & novas pararet, forte fortuna gallum galinaceum, indusio viri demortui involutum in interstitio parietum intergerinorum absconditum invenit, cum fociis tunc temporis, testibus gravissimis & celeberrimis, *D. Martino Hartmanno*, Physico Vinariensi, & *D. Henrico Linckio*, Icto Altorfino, quæ causa eò usque specialis latuerat. *Vomitibus* item & excretionibus *insolitorum* huc spectant, qualia exempla non semel ad *Præsidem* sunt relata, qui meminit araneas vivas, chartas, acus, folia ribium, pennas, fila, stramina & similia rejecta.

E tumore quoque mammarum in fœminâ, nigricante illo in superficie, carbones, linteamina, ligna, capillos exempta notavit. In alio ex tumore pedis magnam quantitatem  
pedi-

pediculi exemptam observavit. Tacemus fummos & incredibiles *dolores*, atrocissimos ardores & cruciatus à fascino quandoque inductos.

Ad veneficium hoc referendæ omnino sunt blandæ illæ abdominis contrectationes alicujus apud *Codroncium*, quas illicò dirissimæ lancinationes & abortus monstrosi subsecutæ. Sceleton etiam quod annis tredecim in utero quædam gesta- vit, attactò solum à veneficâ ventre.

De cultro ex hypochondrio exciso vid. *Wierus, de præstig. dem. c. 4. p. 385.* de clavis *Langius, l. 1. p. 38.* de aliis similibus *Heerius in Observat. p. 117.*

*Diarrhæam* maleficio factam observavit *Mercatus Tom. 3. p. 284.* ubi præter dictas, ait, diarrhææ sortes memoriæ proditum est, alias succrescere posse, in quibus ossicula quædam similia passerculorum ossibus prodeunt, quasi laborans integrum devorasset passerculum, quæ sanè gravissimis excernuntur cum doloribus. Quam etiam excretionem maleficio factam potius, quàm à naturali causa nonnulli sunt arbitrati. Alia enim assuescunt fluere excrementa similia his, quæ in abscessibus externarum partium solent reperiri, quippe novimus excerni pilos, carbones, lapillos, ungues, testarum fragmenta, oleum, cænum, lutum, mellis specimen aut vini fecem. Quibus excretis rarò laborantes in pristinam sanitatem restituuntur, nam tabidi aut doloribus confumti plerumque pereunt.

*Bufo* ex abscessu notavit, ad manifestam licet causam relatum, *D. Paulus de Sorbait*, cujus verba hæc sunt: Observavi vinicolam post ingentem ex frigidâ & cœnosâ aquâ haustum in bronchocelen incidisse, quæ plurimum excrevit, deinde ex abscessu facto exivit bufo vivus, quem meis ipse oculis vidi; fortasse seminalis virtus cum aquâ ad colli membranas exsudans hujus generationis causa fuit. Vid. *Ann. 2. Ephe- mer. German. Observ. 103. p. 177.*

Ex abscessu pilos, ungues, castaneas & animalcula viva miraque prodixisse narrat *Cabrolus Observ. anat. 27.* Pariter in mercato-

catores castrensi abscessu femoris laborante, cum ope cauteriorum apertus esset, pus copiosum exivit, dein pili, globuli, ranulae & pisa, quae tamen frustra naturaliter, non magicè educta fuisse opinatur *Borell. Cent. 2. Observat. 86.*

Fascinum datum à sagâ matri & infanti comprobatur *Wolfg. Gabelchov. Curat. & Observat. Cent. 1. Observ. 16. 17.* Plura exempla morborum à fascino videri possunt apud *Philip. Salmutb. Observ. medic. Cent. 3. p. m. 126. August. Thoner. Observ. med. lib. 4. p. 222. Observ. 1.* ubi casus reperitur pueri novennis maleficiati admiratione dignus. Item *Balth. Timæi Cas. medic. l. 7. Cas. 24. p. 328. & seqq.* ut plures non laudemus, largè congestos à *Sennerto l. VI. prax.*

Hoc loco & historiam à *Nobiliss. D. Schmidio, Archiatro Anhaltino* observatam, non ita pridem *Excellent. D. Praesidi* transmissam, dignam ut huc referatur censui, quae ita sese habet: Virgo XXVI. annorum, temperamenti melancholico-chole-rici, habitu corporis macilento, postquam per aliquot jam annos continuo fere capitis dolore, cardialgiâ nunquam intermittente, (ita ut circa scrobiculum cordis internam aliquam partem avulsam esse, seriò affirmaret) artuum tremore, cordis anxietate perpetuâ laboraverat, corpore maculis fuscis interdum picto, indies magis magisque emaciato, solâ facie carnosâ & ob *Φλόγῳσι* floridâ apparente, appetitu semper prostrato, adhibitis remediis quàm plurimis, praesertim antiscorbuticis, cordialibus, stomachicis & p. n. aliis, sine ullo levamine omnibus, vivam quandam sibi per artus hinc inde substantiam decurrere, seque fascino maleficiatam esse argue- rat, duabus abhinc septimanis acutissimo ossis sterni dolore corripitur. Locum istum digitis comprimit ac statim duas acutissimas acum cuspides ex sano & integro pectore protrudi videt, quae remittente compressione retrocedunt. Hinc mixturam ex *~u lign. heracl. 3ij. Ræ & aper. ess. hyper. ã 3j.* constantem mane & vesperi ad 30. gtt. sumsit. Externè scrobiculo cordis emplastr. impositum sequens ex *empl. stomach. 3ß. visc. coryl. musc. corall. magnet. ppt. ã 3ij. 50 lign. heracl. 3j. hyper. q. f.*

Hisce primâ vice adhibitis, sensit gravissimum quasi pondus  
 confestim à pectore per artus cum rigore ac tremore delabi ac  
 distribui; dictum factum molestissima cardialgia, à quâ per  
 multos annos ne unico momento libera fuerat, remisit pe-  
 nitus, & quod magis mirandum, emplastrum impositum to-  
 tum ad alutam usque omnino absumtum evanuit, ,  
 quod tamen postea impositum intactum permanfit, nec  
 ullo modo imminutum. Continuavit horum usum per  
 dies decem, eoque tempore sic satis benè habuit, cibos probè  
 appetiit, levi verò diarrhœâ correpta, quæ sponte remisit,  
 hinc insolito totius corporis, præcipuè crurum, pruritu affli-  
 cta est, crura scalpta maculas rubras exhibuerunt pulicum  
 morfibus similes, sed paululum elevatas, ex quibus tuberculis  
 innumera animalcula, minutissima, ruberrima per singulos  
 cutis poros catervatim prodire. Exemta & carbonibus inje-  
 cta leviter crepuerunt, manibus imposita in momento dispa-  
 ruerunt. Per microscopium duobus pedibus totidemque cor-  
 nubus instructa esse constitit, & corpore turgido ac succi ple-  
 no. Jussa reliqua acrius inquiri & scalpello poris eximi, quæ  
 tamen quantocyus singula retrocesserunt, nec frictionibus  
 calidis, nec mellis inunctione allici potuerunt, evanescenti-  
 bus simul omnibus maculis. Ægrota aliàs delicata & pud-  
 cissima, quæ manè sanissima apparebat, maximum ex horum  
 adspectu tædium, terrorem ac mœstitiam concipit, cardialgiâ  
 denuò immani, respiratione difficillimâ, lipothymiis creber-  
 rimis & cordis anxietate maximâ corripitur, ratione privatur,  
 torvum videt, absurda loquitur, caput sibi amputatum esse,  
 se in deserto vivere, turrim sibi supra pectus extructam esse,  
 agnatos, matrem & notissimos non novit. Dato medicamen-  
 to cordiali & anodyno circa medium noctis alto sepelitur so-  
 mno, manè expergefacta nescit singula, benè se valere jam  
 dicens, nisi quod ob fascini metum anxia & sollicita fit, præ-  
 fertim cum meminerit, sibi ante annos octo parvum in exter-  
 nâ ac superiori dextri femoris parte tuberculum ortum esse,  
 ex quo per emplastra aperto Chirurgus varia adspectu  
 miranda exemisset v. g. naturales ungulas & pedes avium,

materiam quandam ovi columbini magnitudine, crassam, coriaceam ac nigerrimam, quam etiam nunc videndam exhibet, & alia, quæ singula fascini suspensionem penes illam maximè confirmant.

Imò & bruta & arbores, inprimis verò hominem fascino lædi certum est.

Remotius huc faciunt alia ex rebus NATURALIBUS, v. g. ÆTAS, uti infantilem, tanquam teneriorem his obnoxiam statuunt non ineptè, ob fluxam magis & minus resistentem texturam; Maximè verò DISPOSITIO corporis ad hunc vel illum morbum, unde melancholia balneum diaboli & in his casibus omninò est; Singula tamen illa concurrente dæmoniacâ operâ demum effectus morbosos, à fascino dicendos, producere norunt.

Modus quidem respectu dæmonis & læsionis ipsius latet, est enim mille artifex, præstigiator mirus, unde receptior est hypothesis, non reverà inextitisse talia v. g. rejecta vel exsecta in corpore; mera tantum, ut loquamur cum *Helmontio*, operatur ludibria & præstigias duntaxat inanes. Neque enim datur penetratio dimensionum, non potest culter insuicui, vel clavus, non læsâ & divisâ parte eâdem. Respectu verò hominum modi applicandi fascini occurrunt non uniusmodi. *Generalis* & principalis est pactum jam laudatum initum. *Specialis* comitatus vel præcedens est superstitio & huic affinia, characteres, plantæ, ut mandragora, victorialis, aliaque in se innoxia, verba incondita & inarticulata, & hinc imprecationes quoque ipsæ, ut & vestimenta, inspirata, contactus, manûs, imposita, in limine defossa, vel in plateam effusa, ut transgredi oporteat hominem, cui nocere est intentio. Hæc enim tanquam causam occasionalem aliquando licet deprehendere.

Frequenter & per assumpta id peragitur, placentas, poma, pyra, variis id testantibus exemplis. Notabile enim est non æque per venena inferri fascina, illa enim per naturam sibi relictam interficiunt, sed & hæc illa aliàs innoxia & non venenosa, hoc characterem fascini sigillata, talia evadere.

Neque verò quis putet, posse ipsam conceptam ideam in animo læsuri noxas & morbos hosce inferre. Non enim agit hæc in aliud corpus amicabili vel odioso effectū, nisi ut objectum movens humores & spiritus. Utut enim vel maximè mortem inferre oculis tentet invidus Tītius Sēpronio; ipse tamen sibi maximè nocet, non item alteri, unde & emblemata invidiæ est ipse suum cor edens. Nec de antipathiâ id ipsum valet, multò minus id per se verba, murmura, talisman, characteres, figilla efficere possunt, licet & è Christianis sint, qui contra religionem, & sanam rationem hæc magni æstimant, quam in rem citamus *Hiebnerum*, qui mysterium sigillorum, herbarum & lapidum inscriptum librum edidit. Est & hunc in finem MSS. laudatum *Heurnio*, quod apud *Præsidentem* nostrum vidimus, & inscribitur præstigia Hermetis.

Pertinent huc & *philtæra*, ardorem in venerem in animis aliorum excitantia, interdum erga personam certam, interdum indifferenter, sed venefica, quæ nempe non tam solâ mumiali confermentatione talismodi ideas inferunt, quàm magicum & superstitiosum concursum. Par ratio est oppositi huic odii & inimicitiae, inter personas adamas utrinq; induti. Ad hæc maximè expetere leguntur malefici capillos vel unguium præsegmina, vel fasciam sive partem vestimenti, quod solitum sit tangere corpus maleficiandi, aut epistolam vel quid aliud de illius domo, vel corpore, quibus adhibent certas ligaturas & involuta consuunt tunicæ maleficiandi, vel abscondunt sub lecto, aut inter plumas & culcitram, super quam dormit, aut sub limine ostii vel alterius loci, super quem fœmina aut vir maleficiandus transiturus sit. Tale etiam maleficii amatorii genus fit per imagines quasdam ex terrâ vel cerâ, gemmis aut alia quavis mixturâ confectas, quas abusu nominum & operationum divinorum maledictis suis nutibus aptant. Meminit hujus *Virgilius* in pharmaceutriâ, dicens:

*Limus ut hic durescit; & hæc ut cera liquefcit  
Uno & eodem igni, sic nostro Daphnis amore.*

## CAPUT II.

## Morborum à fascino causas secundas esse naturales, vel præstigias.

**A**xioma notissimum est: causæ sociæ stant pro unâ. Si ergo morbi à fascino sunt, non ex ipsius naturæ radice propullulantes, quacunque demum causâ obstetricante naturali, vel necessitante, vel fortuitâ, sed aliunde citrà hæc & quidem à dæmone inducti, facile patet, primum horum movens esse dæmonem, non solum tamen, ast præcipuum. Ipse agit dæmon, ut loquamur cum *Scaligero ex. 349. p. 1085.* stultus ille ac vecors veneficus putat suis sese verbis agere. Ast ipse non exors est culpæ, & concursus causalis, licet dæmon sit princeps autor fascini, & deceptor & executor. Valet enim & hic illud, quod quis per alium facit, ipse fecisse putatur.

Duplicis verò generis statui possunt morbi à fascino inducti; primò qui ordinariis aliis, etiam non ab hac causâ inductis, visuntur similes, imò sæpè iidem; deinde qui toto genere, ut vocant Medici, sunt præter naturam. Utut enim & tales dentur in corpore citrà fascinum ullum, quale exemplum præbent vermes & calculi, ad nullum aliquod genus partium corporis referendi, sed totâ substantiâ alieni, & peregrini; distinguuntur tamen facile ab effectis diabolicis, quatenus hi per naturam sibi relictam existere in corpore nequeunt. Adeoque toto genere sunt & dicuntur nobis hæc p. n. quæ nec per naturam fœtificari vel produci in corpore ullo modo possunt, animata & inanimata.

Non novum est in corpore nidulari aliquando insecta talismodi, ut ranas, bufones, serpentes non minus ac lumbricos, si per potum aquæ aliufve liquoris seminium illorum fuerit illatum. Quam in rem insigne præ aliis exemplum præbuit ancilla Altenburgensis *Ann. 1. Ephem. Germ. observ. 103.* ut & à *Bartholino Cent. 4. observ. anat. 19.* descripta, Est e-

nim infectorum horum seminum valde materiale & diffusivum sui, corpus humanum calido & humido gaudens commune iisdem præbet hospitium gratum, ipsâque assuetudine nidus fit acceptus ipsis constituitur. Unde frustra fuerit negare, hæc talia in corpore gigni hoc modo posse. Ast si id fiat loco inconvenienti, quàm ut hospitari ibidem possint & produci semina velut in utero quodam vel receptaculo, quod de bufonibus & aliis talismodi locis se quandoque exerentibus diximus, meritò id inter fascina habetur. Longè magis verò id de partibus vegetabilium vel arte factis, aut metallicis asserere licebit. Ea sanè rejecta per corpus aut generata in eo esse oportet, aut creata denuò, ut ex non ente fiat productio, aut jam extantia huc illuc illata, injecta, aut lusus esse dæmonis, qui concedente divino numine, impellente vel per voluntatem cooperante & concurrente malefico, gesticulationes illas efficiat. Generari eadem in corpore est impossibile, adest quippe improportio seminum, differt natura à naturâ, neque ea naturæ est inordinatio, quæ observantissima est legum, quibus se adstrinxit. Imò à solâ arte figurata vel fabrefacta inepta sunt, quàm ut eodem planè modo, quanta etiam illius sint miracula & diversimoda, unâ vice produci & producta naturæ ope excerni queant, & illa quidem, ut exempla testantur, quæ vel in corbe fascinantis gestata, vel illi aliàs placuere, ut in corpore, cui nocere præsumebat, extarent.

Creari hæc talia posse à Dæmone, religio vetat statuere Christiana, imò sana ratio & ethnicis nota, uti nulla natio tam barbara fuit, quæ Deum negare ausit. Creare solius Dei est, qui & ipse peracto creationis universalis opere cessavit non-entia producere, perennanti productioni per semina propria commisso ordine & negotio, (nihilominus & ipso concurrente primariò, quippe in quo vivimus, movemur, & sumus,) liberrimè adalligatus naturæ, non exclusâ divinâ, quâ pollet, omnipotentiam etiamnum si velit creandi jam existentia vel nova, quo ipso tamen ex sapientissimo con-

consilio abstinere. Ponamus ergo pediculos, araneas, bufones, nova vermium genera, uti sensus id demonstrant, per fascinum inducta reperta vel excreta fuisse, illa sanè de suo producere non potuit dæmon, neque credendum est, ad maligni genii desiderium summum Numen eò se demittere, ut eadem creet. Absit, ut hæc cogitemus! Sed, inquis, unde ista vera animalia, ut ovum ovo similia? Quasi verò non nosset mille artifex, hæc aliunde arcessere, vel oculos ludere, quod ex historiâ Ægyptiacâ *Exod. 7. & seqq.* satis illustrari & intelligi potest.

Maximum & potissimum dubium esse potest, annon ipsissima dicta in corpus intrusa & actu præsentata statui possint, prædicentibus sæpè ægris, ut historiæ fidem faciunt, jam acum imminere, jam cultrum, aliaque, imò eximi ex divisâ prius integrâ cute chartam, linteamina, carbones. Sanè subtilissimum id fuerit artificium, nec humano ingenio assequendum, ubi quidem id reverà extat vel se offert, uti quidem negandum non est accidere. Sed ἀπατη illa omninò, seu deceptio est. Non novit nisi decipere dæmon, qui, ut imbellem se non esse persvadeat, sed potentem & admirandum, cum reverà præstare non possit, fraude conatur, & primo intuitu tantum non persvadere, esse hæc ipsissima illa velex corpore educta, quæ tamen corpus ne attigere quidem. Patiamur id nobis persvadere, si videamus vel humanâ varietie & celeritate gesticulatores infinita præstare, quæ inscius vel Jovem lapidem juret ita se habere, objecta non assequente sensu, sed decepto, mirâ agilitate, modisque aliis. Ast quantillum homo potest in his talibus, si cum callidissimo spiritu in comparisonem veniat? Producere se fingit gesticulator non extantia, auferre prius visa, deglutire inepta, imò & carbones vivos, mirandum dictu, vel ex ore omnigenos colores vini, liquorumque aliorum velut ex siphone exstillare. Hæc toto die vel publico eveniunt in foro, & putemus, non posse similem fabulam ludere dæmonem, si quidem potestatem à Deo, & quod jure mireris, ab homine socio acquirat, quam ex se non habet, miser spiritus.

Hæc

Hæc cogitantibus sollicitâ paulò magis inquisitione facile est colligere, præstigias eas esse dæmonis, tum à parte agentis simul vel quasi hominis, qui putat suâ operâ solâ vel sociâ saltem certò id contigisse, abblandiens hinc sibi, ut sit, quod tam potentem effectum ciere noverit; tum à parte patientis potissimum, & adstantium, quibus hæc suggeruntur quàm maximè. Non attinet denuò latius adducere jam tacta superius. Præstigiæ sunt, quod præstringunt oculorum aciem, seu quod prætegunt, deludunt enim & quasi tegunt oculos, ut reverà ita esse jures ac visui apparet, cum tamen aliter se res habeat.

Quod verò alteram classem attinet, seu priorem illam, dum morbos à fascino dicimus, necessum est, ut eosdem concipiamus secundum pathologiæ leges. Sunt enim itidem, ut alii morbi, vel in partibus similaribus fluidis & spirituosiss, seu sanguine & sero, principiis vitalibus, adeoque intemperiei dictæ, quatenus peregrina miasmata inducta proportionem & compagem illorum disjiciunt, unde febres, anxietates, ariduræ, sudores. Vel partibus infliguntur organicis quoad conformationem, ut contracturæ, contorsiones, tumores, curvitas, & similia vitia in figurâ, situ & connexione. Vel in utrisque communi unitate apparent, ut ulcera prava & cacœthica, & id genus alia.

Par ratio est symptomatum variorum, ut ex actionibus læsis v. g. dolores immensi ac intolerabiles, impotentia, cœcitas ex fascino, ut plura non laudemus. Cum ergò uniuscujusque effectus morbosus non sit nisi una CAUSA IMMEDIATA, eaque certa & determinata, inter quam & morbum nihil intercedit, sine dubio illa etiam in morbis his à fascino locum habebit, ita ut illa quadret & ex suis oculis arcessenda sit in quibusvis morbis vel symptomatibus. Neque enim opus est, ut in his immoremur speciatim longius.

Quin imò id ipsum quoque de CAUSIS MEDIATIS PROXIMIORIBUS & REMOTIORIBUS, ex ordine quasi quodam sese insequentibus, uniuscujusque talis morbi ex fascino valet.

Sola differentia inter communes seu ordinarios talismodi morbos & ex fascino productos est in causâ dirigente extraneâ, maleficâ illâ sæpius & primâ nobis dictâ. Non differunt specie illi ipsi, sed concursu causæ extraordinariæ, supernaturalis sano sensu dictæ, quatenus non tam quæcunque ullo modo, uti Medicis laxiori sensu causæ morbificæ nomen venit, hunc illum morbum, sive proximius, sive remotius producere valent, hoc casu sibi relicta in corpus agunt, donec possitis intervenientibus recipiendi debitis modis sistatur & se exferat in corpore morbus; sed dirigens & movens sive actmans illas aliud concurrit. Sanè dæmon callentissimus est naturæ artifex, quo nemo acutius morborum causas penetrare mortalium aufit. Facile igitur fuerit ipsi ordinarias causas citare, singulas pro suo modulo, sive, ex NATURALIBUS, ætas, habitus & textura corporis, temperamenta, dispositio consentiant; sive, ex NONNATURALIBUS, aer, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, excreta & retenta, animi pathemata, aliaque casu evenientia ministrent; seu ipsi jam morbi & symptomata alia ex PRÆTERNATURALIUM ordine, quibus se ad sociare commodè possit.

Variant scilicet hæc omnia pro intentione malefici hominis, callidissimè se componente ad nutum genio malo, ut eò se potentior probet. Et sanè moderari eadem universa divinum Numen & limitare verissimum est, quod nec in omnes æquè efficax sit nocendi illa insana libido, in quibusdam verò tam subtiliter id administretur, ut fallere satagat hoc ipso quoque alios, nunquam non fraudes architectans. Sic, ut quædam repetamus in exempli vicem, in doloribus tensionem fibrarum nervearum acriorem; in impotentiâ impeditum affluxum spirituum ad partes genitales; in motibus convulsivis stupendis nervosi generis irritationem tensionem constantem vel interpolatam; in melancholiâ fixationem majorem spirituum; in contracturis ligamentorum exsiccationem, in singulis humorum vitalium deturpationem machinari & præstare ipsi perquam expeditum est.

Ponamus currum dæmonis operâ restare, nec moveri posse, uti non rarò observatum à fascino fuit, (nullâ in movendâ machinâ, vel trahente equo ad sensum præsentem vel investigabili remorâ,) nullum dubium est, vel in rotis, vel in equis, motum illum præstantibus, culpam inferri, licet non advertendam sensibus, ipsis nihilominus equis ad extremum sudorem coactis, imò, quod *Ronsseus* factum à fascino perhibet, vel genitali ipso mirè intorto, unde summus dolor & anxietas confurgit necessariò. Eundem in modum in machinâ humani corporis se res habet. Cujuscunque visceris actio læsa est, illius velut habenas vel nervos, vel concurrentem necessariò tonum læsum & tantum non corruptum esse, colligendum est.

Causa ipsa interna & effectus quoque est naturalis, exterior in corpus agens & dirigens non est naturalis, sed sublimior, Dæmoni imputanda, siquidem à naturâ sibi relictâ non expectari idem soleat vel possit. Latet anguis in herbâ, unde cauto opus est, licet, quod diximus, & sensibus id palpare sæpe liceat.

Neque tamen absolutè valet, solum dispositos & aptos inferri morbos à fascino, quod ipsum dubios reddere posset eosdem magis, sed potius pervertit opum naturalium vim dæmon hoc ipso, ut qui antea sanguineo, lato ingenio gaudet, totus à se diversus appareat, sibi dissimilis, ne plura laudemus, facile ex inferiùs dicendis colligenda.

### CAPUT III.

## Morbos à fascino signant phænomena ultra sphæram naturæ transcendentia.

**D**Igestis causis morborum à fascino oriundorum tractatio de SIGNIS tramite recto incedit, quibus iidem dignosci abso-

absolute, diagnostica vocant, & respectivè quoad prognostica queunt.

Hæc difficultate non carent, cum mille formarum proteus naturalibus causis sese sæpè immisceat, iisque utatur, ut non facilè videatur primâ fronte discernere, quid à causis naturalibus, quid ab ipso dæmone profectum sit, multò minus, qualia omina inde sint capienda, unde etiam sunt, qui negant, dari aliquod morborum à fascino signum pathognomicum. Difficultate interim hæc non deterritis Medicis, fas est signa ista accuratè examinare, ne vel naturæ debilitate evenientem morbum pro dæmoniacò habeamus, nec à fascino ortum vice versâ pro naturali venditemus.

Si ullibi igitur, sanè hîc distinctio locum habet inter signa communia, & propria seu distinctiva. Illa non sufficiunt omninò, ita ut, instar regulæ, quamdiu in morbo quocunque signa adsunt communia, qualia quidem in aliis quoque per naturam eveniunt, tamdiu ille ipse pro naturali sit habendus, id quod ad omnes signorum fontes applicare integrum & fas est.

Sic quamdiu *ESSENTIALITER INHÆRENTIA* cujuscunque morbi, vel symptomatis invenit Medicus, v. g. intemperiem, vitiosam conformationem, vel hiatum manifestum, aliaque formalem rationem absolventia, illa meritò ex suo æstimat genio, taliaque judicat, qualia invenit. Par ratio est *ESSENTIALITER CONSEQUENTIUM*, seu symptomatum aliorum secundariorum, quæ velut inconveniente uno posito ex necessitate consequuntur, sive in *actionibus lassis*, quorum in primis spectant dolores punctorii graviores, item convulsiones, contracturæ &c. sive in *excretis*, sive in *qualitatibus mutatis*.

Par ratio est *CAUSARUM*. Quamdiu hæc è fontibus suis scaturiunt, ut inter causam & causatum certa sit relatio, quæcunque producta ad ordinem hunc naturalem sunt reducenda, modò sufficiant & paria sint utraque inter se comparata, etiam ratione temporis. Sic quando generosa reme-

dia non juvant, symptomata ingravescent, & sine causâ manifestâ desubito ingruunt, ad præsentiam sagæ extemplò augeantur anxietas, dolores, clamores & similia, confirmant hæc ipsa fascinum.

Tacemus ANALOGISMUM, seu comparisonem ægri ad ægrum, vel ad seipsum quoque, quod itidem satis est ad confirmandum, utrum morbus sit pro fascinato habendus, an non, prout id experientia uniuscujusque confirmaverit.

Nullum itaque pathognomonicum aliud signum superest, quàm illud unicum, an phænomena sese offerentia intra sphæram naturæ militent, an verò eandem superent, ita tamen ut accedat prudentia Medici hæc noscentis & distinguere apti. Quicumque nempe morbi vel symptomata intra naturæ terminos versantur, tum quoad ipsam formalem rationem, tum quoad causas, ex quibus oriri queant, illi pro naturalibus sunt habendi, non pro fascino seu supernaturalibus, etiam si graves appareant satis; & contra ea, quicumque naturalem sphæram supergrediuntur, ad hos referendi, modo non error committatur in diagnosi circumstantiarum, de quo mox agemus.

Sic certissima morbi à fascino & veneficio illati signa pluribus historiis confirmat *Sennertus lib. VI. prax. part. 9. cap. 3. p. 391. seqq.* si acus, cultri, ligna, cera, capilli & similia artificiosa, vel alia, quæ in corpore humano generari non possint, vel per vomitum vel per alvum ipsosque tumores & ulcera excernantur, aut extrahantur. De iisdem signis videri meretur *Drawizius de Scorbut. p. 90. & seqq.* ubi & aliquot historias recenset huc pertinentes. Exemplum, præter jam allata, cujusdam fœminæ refert *Anton. Beniven. de abdit. morbor. & sanat. causis cap. 8* quæ longiores & recurvos clavos, æneasque acus unâ cum cerâ & capillis in globum mixtis evomuit: & novissimè jentaculi frustum tantæ magnitudinis, ut devorare integrum nullus potuisset.

Seorsim verò præstigium deprehenditur, cum effectus non oritur à motu locali & superat causarum naturalium appli-

plicatarum activitatem, idque tantò magis, cum statim evanescent visa de portentosis quibusdam è corpore rejectionibus, atque adeò circa morbos evenientia ordinariis metiri non licet regulis.

*Obsessionis* diabolicæ signa certa & indubitata ex collatione virium naturæ seu hominis quoad animum & corpus eruntur. Quoad animum quidem, si intellectus & voluntas ferantur supra hominum captum, ut si peregrinis linguis loquatur, quas non didicit, æger, vel iisdem effata rudis aliàs intelligat, idque tantò magis, quò artificium majus accedit, ut si versus compingat & recitet.

Licet enim sint, qui idem per naturam fieri posse rentur, reverà tamen id sphæram naturæ superat, & cum miraculosa illa linguarum cognitio hodiè cessarit, vel saltim, quæ à Spiritu sancto est, non nisi in divinas laudes & hominum salutem feratur, si, citra hunc characterem, cæteris paribus, audiantur hæc talia, dæmonis id astutiæ & concursui adscribimus. Plura hanc in rem videri possunt apud *Codronchium l. 3. de morb. Venes. c. 13.* & passim, *Hildesheim. Spicileg. affect. cap. 10. p. 782.* ubi & plura habentur.

Idem valet de rebus absconditis, vel præsentibus, vel præteritis, quæ per humanam solertiam scire non datur, ut si occulta aliàs & non nisi huic illi, saltim non personæ edicenti cognita prius, nec sensibus hausta proferantur. Per naturam enim nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, saltim latius, ita ut liber inveniendi, illustrandi quin & fingendi ex cognitis illis intellectui maneat locus.

Nec obstat, occultare se sæpe dæmonem, nec morbos dæmoniacos tales æque statim patere; idem enim & de aliis gravioribus sæpè valet. Opus ergo est tantò majori *arrogantia*, ne fallamur, sed tamdiu in viâ regiâ procedamus, quousque non alium tramitem sequi cogit necessitas.

Ut hæc illustremus specialibus quibusdam exemplis, frequentissima occurrit *impotentia* à fascino, quam arbitrari licet, si quis vegetus aliàs & juvenis nullo prægresso morbo,

nullo odio vel averfatione, (quorſum aliàs *Borellus Cent. 4. Obſerv. 65.* ligationes hæſce referre fatagit unicè, negans concurſum Dæmonis,) nullâ cauſâ manifeſtâ, ſentiat ſe ſimul & ſemel defraudari ſuo genio, emori partem & funerari veneri aptam, imò & anxietatem ſæpè conjungi non levem, idque primâ vice, fruſtraneo omni conatu. Quis non agnoſcit ſubefſe maleficium, & hæc ſphæram naturæ ordinariam tranſcendere?

Idem applicare licebit facilè ad *maciem, convulſiones epilepticas*, & alia. Licet verò difficilius ſæpe hæc cauſa eruatur à priori, ita ut pro naturali habeatur morbo, ubi nihilominus dæmon ſubefſt; præſtat tamen, nil temerè aſſeverare, vel in caſu dubio flectere huc animum, non deſlectere, ut uno oculo morbum, quâ talem, altero ſublimiorem illam cauſam attendamus. Facit huc tum juvantium & nocentium notio, & quod aliàs de morbum ſimulantibus prædicari ſolet, ſi non concordent ſibi invicem ſigna, ſed diſtent; ita tamen ut conjunctim & collectivè, omnibus & ſingulis probe examinatis, demum pronunciemus, morbum eſſe à faſcino. Alia enim & hîc ſunt ſigna proximius, alia remotius id ſignificantia.

Quod ſi & PROGNOSIN generalem conſiderare lubido ſit, moderantur eandem in genere collatio & proportio inter lædens & læſum, ut quò magis à ſtatu naturali ſunt remota phænomena, eò periculoſior & gravior morbus ſit habendus. Sic macies ad extremum gradum maraſmi deducta reſtitui renuit. Vitales acſiones magis læſæ gravius affligunt, animales illarum intuitu mitius habent, nec periculoſæ æquè ſunt, licet videantur. Impotentia reſtituitur ſæpe. Reliqua ex ſuis modulis judicanda quoque. Sæpè verò majorem incutit metum dæmon, quàm eventus hinc teſtatur. Dæmoniacy morbi ut plurimum longiores eſſe conſueverunt, quandoque & recidivant, ſtato tempore redeunte melancholiâ, anxietate, delirio.

Neque opus eſt DIFFERENTIAS attexere genericas, quippe quæ facilè eruuntur ex ipsis phænomenis probè conſide-

fideratis. Alii tamen primarii sunt, alii comitati, seu reliquis juncti, qui partim naturales sunt, partim dæmoniaci, in partem causæ se vocante dæmone, unde facilius restituantur, uti recentes omnes magis sunt curabiles. Quando verò diuturnâ morâ principia vitalia deturpata magis sunt, minus sperandum est de perfectâ sanitate, unde sæpe συναποθνήσκουσι.

#### CAPUT IV.

### Non omnes morbos graviores pro fascino habendos.

**U**T nec nulli, sic nec omnes morbi à fascino sunt derivandi. Vulgi ea consuetudo est, sive gravior paulò morbus incutiat, seu longius duret, etiam neglectis convenientibus remediis, non cælum respicere & iratam vel castigantem Numinis manum, sed dæmoni acceptam ferre cladem. Idque quotidiana probant fatis exempla. Dari enim complures morbos, quorum causæ & remedia non æque statim obvia sunt, & exin à multis pro fascino haberi, nemo nescit.

Exemplo fit melancholia, affectus gravissimus & molestissimus, cujus soboles solet esse phantastica quædam persuasio cum vehementi tristitiâ & animi mœrore, qui non rarò ægros adeò torquet, ut animam tantum non extorqueat, à causis tamen naturalibus sæpe producta. Hinc citari hoc loco meretur locus *Ebusinæ l. 3. sen. 1. Tr. 4. c. 18. p. m. 376.* ubi, quibusdam medicis, ait, visum est, melancholiam fieri à dæmone; sed nos non curamus, in naturâ occupati, an id fiat à dæmone, an non, certi, si fiat à dæmone, induci ita, ut immutet temperiem in atrabilariam, & hæc fit causa hinc melancholiæ. Quo ipso loco non tam negat eandem à fascino induci, quam statuit, quod & nos jam innuimus, fieri id effectum naturali, nec temerè quamvis melancholiam pro dæmoniacâ habendam. Maniaci quoque sæpe habentur vulgò pro obsessis à dæmone, epilepsiæ graviores pro dæmoniacis, paralyssis item cru-

crurum & brachiorum, macies corporis, sterilitas utriusq; sexûs, inprimis verò convulsio & contractio mirè invadens ægrotos, ita ut adstantes sæpius existiment, à veneficiis per incantationem hunc morbum fuisse conciliatum decumbentibus. Singula tamen hæc, ne plures laudemus ejusdem commatibus, naturales omninò agnoscunt causas ut plurimum, & facillè confunduntur cum dæmoniacis.

Neque id novum vel hodiè demum fieri cœptum est, antiquissimus ille mos est, dudum *Hippocrati* nostro culpandus visus. Hic quippe *l. de morb. sacro c. 1. & 2.* ubi speciatim epilepsiam huic ordini eximit, tres potissimum rationes adducit, quare morbi, ad naturales causas referendi, pro fascinatis vel dæmoniacis habeantur, primò *ἀπειρία*, *experientie defectum*. Ut pueris omnia nova sunt; ita & qui hos illos graviores casus, non æque patentes ignaris, non viderunt. 2. *θαυμασμόν*, *admirationem* ob miros casus, versiones & circuitus morbi, quo insolitum quid præ se ferunt graviores, rapiunt in admirationem, ut præ stupore desperent de cognitione vel remedio. Tertiam causam adlegat *ἀνύχαιαν*, *consilii & mentis inopiam*, indeque ortum prætextum, imò superstitionem, unde in absurda ferantur & salvare famam Medici, seu empirici potius tales fatagant, sive evadat æger, augendo ipsam, sive moriatur, ut aliquid egisse videantur & exculpent ignorantiam.

Cavendum sanè est, ne Medici prudentiâ minores sint præ vulgo & in devia adigantur, ubi via tuta & manifesta est, vel alia saltem. *Μὴ δὲν εἰρή, μὴ δὲν ὑπερεγγᾶν* Hippocraticum etiam hîc valet, *nil temerè affirmandum, nihil prætervidendum*. Ausim dicere, hanc sæpenumerò causam esse, quare morbi isti minus sanentur, qui sanari tamen potuissent, inprimis, si condescendant ægrotis Medici, & à fascino esse morbum concedant, qui nihil minus quàm talis est. Hinc in absurda feruntur ipsi, relictâ morborum panaceâ medendi methodo, & andabatarum more hinc depugnantes occasionem præbent ægris jam dum in deteriora inclinantibus, ut fatagant, flectere si nequeant superos, acherunta movere. Itur  
hinc

hinc ad sagas, carnifices, agyras & nullos non se profitentes medicos, relictis quos consulere intererat, imò ne fidem merentibus ullam, quicquid edicant.

Ante paucos annos mortuus est machæropæus quidam, temperamēti melancholici, qui à pluribus annis spontaneum quasi carcerem domū habuit suam, octodecim ad minimum, quod crederet se fascinatum, omniaq; renueret remedia, pertæsus usurpatorum & desperans curari morbum magicum posse. Sentiebat ardorem intensum in latere dextro, eâ regione quâ bilis decumbit & exoneratur in intestina. Putabat hunc carbonem esse vivum, quo torqueretur à sceminâ, quam maleficam induxisse malum firmissimè credebat, non minus ac in inguine quoque cruciatus repetentes sæpius. Arguenti *Præsidi nostro* bilem hanc esse acriorem, & acido fermentatam corrosivo, constanter renuit, nec vel educentia, vel temperantia, vel anodyna adsumsit ulla, quod persuasisset prius aliis, aliique vicissim illis, à fascino hæc oriri omnia. Tulit hos ergò cruciatus, pertulit citra remedium ipse suum cor edens, anxietatibus & doloribus & inquietudine interpolatis, subinde novis accensis facibus. Quod verò toties prædictum à *Præside* fuerat, bilem esse in culpâ, surdo narratâ fabulâ, id post mortem apparuit satis, bile granulatâ penitus apparente & ultra tria millia granorum exhibente, & calculis cum pinguedine mirâ repertis in inguine, cujus rei testis est exceptione major, qui Anatomico cultro cadaver subjecit Excellentissimus *D. Fascinus*, h. t. *Academiæ Rector Magnificus*.

Mortuus tabe infans à fascino laborare putatus, cum post mortem citius corruptionem minitaretur abdomen iusto elatius, habitus meritò fuit ex obstructione vasorum mesentericorum defunctus à *Præside*, quam sæpius curavit solis aperientibus & alibis, humectantibus & ☉ sis, nominatim *Râ* & aperit. & arcan. duplic.

Laboraverat tumore in scapulâ rebelli puella 16. annorum, consultus *idem naxosides* agnoscens dissuasit apertionem factò prognostico, æmulari cancrum occultum ejusmodi

tumores, & si aperiantur, moriendum esse, tolerabili cætero-  
qui malo, aliisque corrigendo. Nihilominus ab empirico  
apertus idem, nil nisi sanguinem & ichorem fudit, indies in-  
crementa capiens. Mortuâ tandem in viâ, reduce à car-  
nifice, sentiunt sonum quendam parentes, & aspides nescio  
quas residentes in tumore sibi fingunt. Factâ inspectione  
& apertione ulteriori sola fermentatio ichorum soni illius  
causâ patuit.

Hinc non ita pridem de consimili tumore duro & ma-  
gno, circa sinistrum thoracis latus, ortâ suspitione fascini,  
quæ sita inclÿta facultas Medica hujus loci respondit, daß die  
angeführte Umstände zur probation einer Sauberey nicht hin-  
länglich / sondern vielmehr die erzählte Zufälle / so der patient er-  
duldet / allein ex causis naturalibus herrühren können. Ratio-  
nes decidendi fuere additæ quoque, quod ejusmodi tumo-  
res mali moris & rebelles non raro in scorbuticis fuerint ob-  
servati, dolores ab humoribus acribus corrosivis orti, & ab in-  
tempestivâ apertione tumores indies in deteriorem statum  
ruant, & quicquid occurrat circumstantiarum ex naturalibus  
causis deduci possit, in primis verò quod nihil inventum fue-  
rit ultra sphaeram naturæ transcendens vel insolitum.

Et talia toto die obveniunt alia quoque. Visi sunt à  
vermibus mirè torti, quale exemplum in vicinâ contigisse  
meminimus, ubi præ anxietate spasmodicâ sæpe capite infi-  
stere coacta fuit fœmina, inventis post mortem lumbricis plu-  
ribus, qui per intestina exesa in cavitatem abdominis erupe-  
rant, notante id *L. Marci*, Physico Waltershusano. Visi, qui in  
cavitate thoracis aliquid vivi & instar vermis repentis, qui cor  
ipsum eroderet, conceperunt, unice id à fascino derivantes.  
Post mortem abscessus repertus docuit satis, materiæ puru-  
lentæ illum fuisse motum, quod itidem laudatissimus *D. Fas-  
schius* observavit.

Dignissimus locus est, qui hîc inferatur, *Gassendi l. 1. de vit.  
Peireskii p. 12.* ubi, cum memorasset, ab anu maleficâ ingre-  
diente per fascinum tum matri ademptam vocem & infanti  
bime-

bimestri ploratum, tum depressum utriq̃ue caput in alterum humerum, eâ rigiditate, ut flecti non posset, addit sequentia: Utcunque Optimus Deus innocentes infantulos malitiæ cacodæmonum permittere possit; utcunque ipsi ad ea officia, & ad obsequendum misellis quibusdam aniculis se comparent: compertum est tamen magnam eorum partem, quæ commemorantur, fabulosam esse, aut non alio certè niti fundamento, quàm minus solitis quorundam morborum symptomatibus, quibus sunt infantes obnoxii.

Merito hinc morem hunc vulgi, quofvis morbos, quorum causas non satis assequitur, vel symptomata miratur, promiscuè ad fascina referentis, carpit *Anton. Prætorius im Bericht von Zauberey und Zauberern c. 9. p. 58.* Es ist leider dahin kommen / so bald einem die Augen verduncckeln / der Bauch grimmet / die Finger schwären / die Füße geschwellen / das Herz zerschmelzet / die Seele ausfährt / oder das Vieh verdorret / verlahmet / verfället und stirbet: da ruft iederman / daß gehet nicht recht zu / dem ist vergeben. Er hats am Apffel gessen / er hat es vom Trunc bekommen. Da gedencet man weit umher / wo man gewesen / wer zu essen gegeben und zugetruncken hab: / wer bey gessen / wer angegriffen / und was mehr. Bald verdencet einer diesen / Der andere jenen / hie redet man heimlich / da ruft man laut / der und der hats gethan. Also wird Leid mit Leid versalzen / und Jammer über Jammer angerichtet. Ach! das ist zu viel / unrecht und leichtfertig gehandelt. Es gehören erfahrene Aerzte und Naturkundiger dazu / daß Krankheiten / so von Giffst kommen / erkannt und von andern unterschieden werden. Hæc ille.

Fiunt monstra in Medicinâ toto die, quæ aliis non visa satis hunc censum subeunt. Ac proinde id vulgo, quod plerumque, quæ quotidie non occurrunt, ad fascina refert, sic argutanti condonatur; ast docti sic inferre promiscuè, nisi evidentia signa contrarium suadeant, cavent.

## CAPUT V.

## Morbos à fascino curari remediis naturalibus.

PRæternaturalis causa, à Dæmone profecta, uti ad Medicum minimè pertinet, sic nec curatio, verba sunt *Plateri lib. 1. prax. c. 3. p. m. 106.* ubi de obsessione agit, quod & alibi, & nominatim de ligatione à fascino agens, repetit, non Medici esse illam solvere asserens. Ast nunquam definit subiectum Medicinæ esse corpus humanum, etiam si à Dæmone obsideatur actu, vel ab eodem quomodocunque à statu naturali læsum fuerit.

Spiritus ipse est, *αἰτιατὴς*, corpori verò morbum sine medio naturali inducere verum nequit, quod digessimus satis. An putabimus ergò, quod impium est statuere, Deum O.M. liberaliorem esse in infligendo morbos, quàm sanando? Unimale mille opposuit remedia. Quandoquidem ergò corporis naturalis, quod diximus modò, fit vel facta est læsio, meritò etiam naturalibus remediis suus est locus.

Duo genuina concessa morborum horum sunt remedia, preces & medicamenta; Spurium & pejus morbo, aliquando malè quæsitum, dæmonis obsequiosa curatio, magica uno verbo.

Preces divinum sunt remedium, & ægro & Medico unicè commendandum.

*Ni Deus adfuerit, viresq; infuderit herbis,*

*Nil Tibi diptamnus, nil panacæa juvat.*

O quàm piè *Hippocrates* noster, (qui locus auro dignus & inter reliqua scripta præcipuus est,) τὸ εὐχεσθαι, scribit, πρέπον, καὶ λίνυθαι ἀγαθόν. Orare decorum & valdè bonum est, lib. de insomn. c. 2. t. 12. Imò liceat nobis & alium locum de precibus elegantissimum ab ethnico mutuari, qui extat apud *Xenophontem* l. 1. de pad. Cyri p. 21. ubi Cyrus differit egregiè: 1. rebus secun-

cundis maximè Deum esse implorandum, (multò magis verò adversis, & hoc loco misero, morbofo statu;) 2. manus admoventem implorare divinam opem oportere indigum. 3. auxilium Dei diligentiam humanam non tollere, unde absurdum addit esse, petere, ut ager fructum ferat, semente non facto. Deus per media agit, licet pro infinitâ omnipotentiâ solo nutu, sine ullo medio, agere possit.

Cur ergo negligamus divinam manum, in medicaminibus repositam, & solis exorcistis v.g. obsessos committamus? Cur pro *κεκρωτημένοις* ægros relinquemus, denegatâ omni ope, sicque ad veneficas sæpè occasionem subministrantes ut convertantur? *Ἀρχὼν τῶν σωμάτων*, *imperator corporis* est Medicus, elogio *Philosophorum* coryphæi, non diabolus. Excutere ergò & ab infernali hoste illata ipsi à Deo demandatum est, & naturæ & Dei summi ministro. Hinc testatur experientia sæpius, curari feliciter morbos à fascino, modò audentiùs contra eat Medicus, jure suo utens, quod nullum habet in pium Diabolus.

Laudandum hanc in rem illustre exemplum est, quod memorat *Erasmus Declamat. de laude medicin. Tom. 1. oper. p. m. 456.* ubi, præmissis huc facientibus aliis, Panaceum, ait, celeberrimî nominis Medicum, adolescens colui, is, me teste, quendam restituit, nomine Phlyarium, patriâ Spoletanum, qui ex vermis in novum mania genus inciderat, ita ut in morbo teutonicè loqueretur, quod (uti constabat) nunquam sanus potuerat. Quis imperitus rei medicæ non hunc dæmoniacum vel dejerasset etiam? At is hominem facili paratoque remedio menti reddidit. Redditus sibi teutonicè nec loquebatur, nec intelligebat. Omittimus, quæ subjungit & alia elegantia. Reverà id supra sphæram naturæ, adeoque dæmoniacum fuit.

Neque tamen putandum est, quod innuere ibidem videtur, esse crassiores quosdam dæmones, qui medicam etiam opem sentiant. Satis est nidum extimulari, annuente votis Jehovâ. Piè *Paracelsus*: ideo creata est Medicina, ut super-

stitio devitetur, & Medicus pro illâ, & Deus solus Deus est, etiam si orcus moveatur. *Fragm. l. de morb. ex incant. p. 139.* Præstant ergo id arma Medicorum, ad indicationes, vi METHODI MEDENDI decenter erutas, directâ, quas, de medicamentis contra fascina nos edocens, canonî sequenti includit D. Preses: Quæcunque vel principia vitalia tutantur, vel effectus naturalibus conformes specificè tollunt, vel satanicam vim illudunt, fascini sunt antidota.

Accersenda ergo & huc evacuantia & alterantia, interna & externa. PURGANTIA, tum αῖμα, tum καῖα operantia, & in morbis à fascino remedia sunt probatissima, siue alvus fuerit obstructa, seu per veneficium ingesta in primis viis subsistant, seu saltem bilis aliique humores ibi corrupti hæreant. Hinc uti observatum est, à veneficis per vim infusa nonnunquam quædam, nocendi & fascinandi fine; ita his exturban- dis unicè præstitere opem non rarò emetica. Sic B. Michaelis alicubi refert, se generosum quendam nobilem, ex fascino sterilem, intra paucos dies felicissimè per vomitoria curasse, & vidisse tres vermes nigros cum magnâ venenatæ materiæ copiâ fuisse rejectos.

Idem valet de philtris, de maniâ & melancholiâ satanicâ, (probè tamen distinguendâ,) de obsessis & similibus, quibus hoc ipso vecte, non alio præsentius, mederi licet, unde *belleborus niger*, *giata* & *Θica*, imò & *asarina* emetica, ut alia lenientia quoque & clysteres ipsos non memoremus, huc eximie faciunt.

DIAPHORETICA ut apta nata sunt excutere peregrina *μαύσματα*, feri *εἶπιν* & ichorefcientiam prohibere, liberamque *ἀδελον* *Διγπνοήν* ex glandulis in poros cutaneos hiantibus præstare; sic insignissimè profunt in morbis à fascino, nominatim in tumoribus, inflammationibus, doloribus, anxietatibus, aliisque, unde huc faciunt *rad. allii*, *succisa*, *herba paris*, *camphora*, *myrrha*, *infusum sanguin. asin.* *Ra bezoard.* ~ *Θ \*ci*, *C.C. ebor.* ~ *Θ* *volat. fulig. liquor. C.C. succinatus*, & *diaph. theriaca*, *mithridat. ruta* & ex his parata alia varia.

**DIURETICA** quoniam ipsa quoque apprimè opem ferunt, ferum superfluum ex alveis suis ad vias urinarias derivando, ejusque varia coagula, indeque ortas obstructions tollendo. Hinc aperientia, salina, saponaria, speciatim in macie, tumoribus ventris, ischuriâ, impotentiâ ipsâ non sunt de nihilo, v. g. ex *eryngio, silice, verbenâ*, R. ♂ *aperit. nephrit. Wedel. arcan. duplicat. arcan.* ♀ *i, ♀ Olat. ~* ♂ *striat. ♂i philosoph. ♂i dulc.* ♂ *☿ & succini, ocul. ☿, & cum his paratis.*

Ipsa verò **ALTERANTIA** specifica varia quidem recensentur apud Autores, optimè verò juxta dictam divisionem patere possunt, opposita vel universali læsioni, vel effectibus determinatis. Cum enim vita & sanitas radificentur in fero & sanguine, tanquam principiis vitalibus, & fascina ad instar venenorum subruere eadam fatagant, si non actuali veneno, consimili tamen figillata caractere, meritò opponuntur hisce bezoardica & balsamica, sub diaphoreticis jam exposita.

Talismi modi polychresta & pluribus symptomatibus satisfaciunt sunt cum primis *viscus columbus, antirrhinum, ruta, filix, verbenâ, adiantum aureum*, & præ aliis *hypericum, fuga dæmonum* hinc dictum, omniaque exinde parata. Dilaudat id ipsum mirum quantum hunc in finem *Paracelsus l. 3. de reb. natural. c. 5. p. 1038. seqq.* & hinc quoque *Angelus Sala* stupendos effectus vidisse se refert *l. de essent. veget. c. 4. p. 7.* & de eodem insignis sive fabula sive historia ex *Hercule Saxoniâ* citata videri meretur apud *Scipion. Mercur. de Obstetr. l. 2. c. 38. pag 551.*

Cumque balsamica sit planta, si quæ alia, & ad maciem, impotentiam, dolores & inprimis melancholiam &c. ex causis manifestis eximè conducat, præ aliis ad fascina commendatur non immeritò; sumenda tum in essentiâ balsamicâ, tum mixturâ l. c. *A. Sala* laudata, bis in die, manè ante Solis ortum, & vesperi ante somnum, quod speciatim commendant sine dubio ideò, quod morbi ferosi & inter hos quoque fascino debiti nocturno tempore magis soleant exacerbari. Faciunt huc quoque *corallia*, quorum *Ram Helmontius* multum sola-

Solaminis attulisse testatur, *ess. §ii simpl. & comp. — & § Heraclinum, &c. Os triquetrum* cranii humani, tum perse, tum combustum mirè laudatur.

Sin ad exempla morborum specialium devolvamur, in melancholiâ *ess. hyperici, — & Elis \*ci, infusum sanguin. asini, Ra smaragdi* profunt. In impotentiâ *rot. stimul. Myns.* non semel expertæ, *chocolada Inda, confect. alkermes, ess. satyr. officium,* faciunt. *Helmontius lib. de lithiasi c. 8. § 25.* dilaudat cerevisiam, in quâ betula cocta. In doloribus *anodyna*; in motibus convulsivis *epileptica* activiora ex usu sunt, & sic quoq; idem valet de aliis.

Succenturiantur his **T O P I C A** varia, causas morbificas inductas exturbantia. Inter appensa laudatur *xius vivus; electrum immaturum Paracelsi*, intus & extus usurpatum, suis experimentis dilaudat *Helmont. l. de injacul. mod. p. 481.* Cynoglossum Dioscoridis superiori seculo expertos esse alexipharmacum præstantissimum contra fascinationes cives Genevæ refert *Saguyer schol. in pharmac. Fernel. p. 147.* sine dubio, velemolliente vel *anodynâ* virtute, ipsoque tetro odore id præstante.

In **B A L N E I S**, præter alia jam laudata communia, ex *rutâ, hyper. verben. abrot.* in primis ad maciem commendantur ob absterforiam virtutem *fideritis & conyza coerulea*, ruga vulgò dicta, *groß und klein Beruff-Kraut* quæ etiam nervina sunt, non minus ac **U N G U E N T A & E M P L A S T R A**. Celeberrimum inter hæc est *unguentum de visco corylino Carrichterii*, quod *Heer. observ. 8. p. 128.* item *Horstius l. 11. observat. 16. p. m. 549.* commendat, ubi & alia egregia reperiuntur. Viscus sanè nervinus est itidem & emolliens. Ex emplastris instar omnium est *emplastrum foetidum Mynsichti*. Ad quævis, ait *Autor*, maleficia experimentum est stupendum & quasi cœlitus demissum, super centrum enim, ubi cruciatus, persequendo positum, non tantum maleficium ipsum, verum etiam omnia phantasmata & incantationes sine superstitione & confestim fugat, propulsat atque debellat, sed internis non omissis.

*Job. Agricola in Chirurg. parv. tract. 5. p. m. 646.* abscessibus vel tumoribus incantatione inductis imponere jubet excrementa-

mentum proprium, hinc suspendere id in vesicâ suillâ in fumum, & intra paucum tempus evanescere dolorem, quod ipse fuit expertus. Nec inconvenientia sunt ipsa SUFFIMENTA, dissipandi, alterandi, demulcendi virtute conspicua, tum ex dictis, tum ex aliis, quatenus sale volatili oleoso, in atomos infinitas per ignem redacto, partibus affectis succurrunt.

Plura remedia, contra quoscunque morbos veneficos, si quis scire anhelat, vid. *Barth. Carrichter Herbar. tit. Von gründlicher Heilung der Zäuberischen Schaden* & l. 2. *de ulceribus antiquis c. 10. & seqq. Codronchium, Helmont. l. c. &*, qui instar omnium esse potest, *D. Frommannum tract. de fascinat.* Exempla verò morborum ex fascino curatorum plura memorant Autores varii, v. g. *Mart. Rul. Cent. 3. observ. 100. D. Schorerus in medic. peregrin. p. 205. Thonerus lib. 4. observ. medic. 1. & alii.*

Pertinent huc remedia alia quoque licita pro fascinis averruncandis, quæ nempe in illusionem cedunt Satanæ ac contemptum. Superbissimus est spiritus dæmon, unde nihil minus ferre potest, quàm quæ in ejusdem ignominiam cedunt, vel precibus præviis forti animo opponuntur. Sic anu sub fascini administratione vapulante, apud *Gassendum l. c.* mater & infans fascinati restituti sunt, nullo alio quàm plagarum sufficientium remedio. Sic allium & asa foetida latrinæ indita & cum fecibus incantati confermentata dicuntur stercoreum saporem incantanti inferre. Sic mictio per annulum sponsalem huc referri potest, à ligato facienda, aliaque jam dicta, modò non superstitionis reatum præ se ferant. Neque enim curatio MAGICA, etiam si primâ fronte talis non videatur, ullum habet locum, unde non imitandæ historiæ hinc inde annotatæ, ubi sagarum murmure ablati leguntur morbi à fascino. Talia exempla recenset *Cassp. Calder. de Hered. Tribun. medico magico fol. art. 1 p. 68.* ubi & huc facientia plura præmittit.

Tale etiam relatu dignum exemplum contigit non ita pridem in pago Buchâ, præfecturæ Könizensis in Comitatu Schwartzburgico, quod coronidis loco attexemus.

ibidem, in variis mechanicis artificiis parandis celebris, Johannis Hoffmanni, annorum 40. vitæ integerrimæ, ædes catus niger, antea non visus, ante duos annos frequentavit, caseos, ova gallinacea & lac sæpè subducens, adeoque damno non levi paganum hunc afficiens, ut de remedio ei opponendo cogitare teneretur. Cum ergò aliquando hospitem hunc molestum in horto ædibus contiguo conspiceret, bombardæ explosione illum occidit. Projecturus eundem extra sepiæ oleas, nondum penitus mortui pedes decurtat, atque sic ejicit horto, quo loco sequenti die non repertus, nec fuit, qui amissum conquereretur. Elapso mense ingruente nocte domum ex agro repens in prato prædio suo vicino catum eundem offendit, eumque sæpè verberibus petit, sed frustra, saltuictum semper declinante. Postridiè ingentes dolores dextri oculi persentiscit, tertio die ob eorundem adauctas faces prodit in pagum, ubi tamen persistere non fuit integrum, examen enim vesparum dextro oculo subito ingruit, quod impossibile fuit depellere. Celeri pede domum se confert, vesperæ presso pede insequuntur in supremam usque contignationem. Dolores ingravescent indies, ut per quatuordecim sæpe dies infomnes noctes ducere cogeretur, sequitur cæcitas per 32. hebdomades durans. Medicos consulit, sumtibus non parcens, sed frustra; quotidie spinas, stupas, pilos, grana milii ex oculo extraxit. Elapso hoc tempore cum malè hoc sedem mutaret, & in sinistrum oculum consideret, evenit, ut tres ignotæ facie fœminæ ipsum inviserent, & iter ex Ægypto ad illum susceptum simulantes curam promitterent, modò de sostro convenirent. Promittit quinque imperiales, enumerant rem totam, ut gesta erat, & decoctis herbis aliquot visum perfectè restituant, dimissæ hinc unde venerant.

De DIÆTA tandem non attinet seorsim plura dicere, conformandâ ad morborum proprium genium, unde hâc vice discursui huic finem imponimus.

# Clarissimo Doctorando

S. P. D.

PRÆSES.

**D**E divino in morbis frequens occurrit tum apud medicos, tum alios quoque eruditos discursus, non æquè tamen constat, vel singulis cordi est, quidnam per id ipsum innuat.

Cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ, inexhaustum verò suggerant divini *Hippocratis* scripta, fas est eundem velut primum autorem consulere, & quid subfit, sciscitari. Ita verò hic *l. περὶ γνωστικῶν c. I. t. 14.* ἅμα ὃ inquit, καὶ εἶπε θεῖον ἐνεσθῆναι ἐν τοῖσι νόσοις, καὶ τέττα τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν χρεόν. *Simul verò & si quid divi-*

*ni in morbis inest, etiam hujus præ-  
notionem ediscere oportet.*

Non nostrum est loculos excu-  
tere interpretum, vel acquiescere  
communi quæ inoluit opinioni,  
per divinum in morbis intelligi  
morbos à fascino. Repugnat id  
omninò & pietati divini senis, &  
textui.

Pietati quidem, argumento to-  
tius *libri de morbo sacro*, ubi satis  
probat, quantum naturæ sacerdos  
alienus sit à superstitione, & posi-  
to, magos mala & morbos inferre,  
id θεῖον, *divinum* nullo modo vocan-  
dum esse, *l.c.c.3.t.32.* Taceo, quæ  
sobriè admodum de Dei puritate  
& bonitate addit.

Textui verò id contrarium est,  
si antecedentia & mentem lustre-  
mus

mus *Coi.* Agens enim de prædictionum medicarum necessitate & excellentiâ, summam rei complexurus scribit, nosse oportere morborum naturas, ὅσόν ὑπὲρ τὴν δύναμιν εἰσι τῶν σωμάτων, *quantum corporum vires excedunt.*

Regula hæc unica est & norma certissima omnis prognoseos, ex quâ tanquam ex tripode licet augurari, hunc evasurum, hunc moriturum; proportio, inquam, inter morbum & naturam, & vires utriusque inter se comparatæ.

Ast, cum in morbis aliquando contrarium eveniat, ut qui evasuri videbantur, fati cedant, & qui morituri prognostico relictæ erant, evadant, tum alibi jam inculcat, 2. *aph.* 19. non omninò certas esse prædi-

ctiones in morbis acutis, tum τὸ θεῖον  
attendere hoc loco jubet.

Divinum ergò in morbis est, ex  
authoris mente, *si citrà regulam il-*  
*lam quidpiam eveniat.* Decumbit  
studiosus malignâ feбри, ad sunt con-  
vulsivi motus gravissimi, pulsus fre-  
quens, inordinatus & debilissimus,  
feces invitæ prodeunt, oculi fero-  
ces, natura prostrata, evadit tamen.

Alius, feбри malignâ itidem labo-  
rans, ad oblata benè habet, vires  
constant, pulsus bonus, urina bo-  
na, moritur tamen. Utrobiq̃ue Dei  
digitum venerari fas est omnia ex  
artis legibus facienti.

Idque toto evenit die, cum pri-  
mis in morbis epidemiis, unde alte-  
rum, juxta *Hippocratem*, κερήριον  
est divini in morbis, cum plures in-  
diffe-

*differentes morbo eodem corripuntur, & biliosi & pituitosi, seu dispositi & indispositi, Tros Rutilusve fiet. l. de morb. sacr. c. 5. t. 13. & 14. Exemplo sit pestis, ubi divini hujusmodi exempla; ut adeò si non à priori, tamen ex post facto pateat satis, fatalem adfuisse horam, Dei hoc esse, Deo quæ debere adscribi unicè vitam & mortem.*

Addi quinimò possunt huc alia quoque, *quæ in morbis contingunt omina sæpe, sive per insomnia, sive per sonum fortiozem, & velut sublapsum domûs; fanè & illa divina sæpè sunt monita & ad divinum in morbis referri debent.*

Quod verò magicos morbos attingit, quando *ultra naturæ vires absurda quædam se exerunt, illa fanè*

nè ad divinum in morbis nullo modo spectant, nisi eatenus velimus id, contra *Hippocratis* mentem, explicare, quod Deus permittat hæc talia dæmoni, ad nutum malefici hominis, sed valdè *ἀνύτως*. Non divinum scilicet id est, sed magicum, & diabolicum.

Sed, ne ultra propositum evagetur oratio, brevia hæc suffecerint ad explicandum τὸ θεῖον in morbis. Finio ergò, & ut laudatissimis studiis condigna præmia divinitus obtin-gant, gratulante & votivo animo precor. Dab. è muséo 1682. Calend. Septembr.

*F I N I S.*